Augustin. Heinr. Faschius

et

Christ. Frid. Gerberus.

Παρωτίδες.

Jen. 23 Febr.

1683.

vol. VIII.

H. vol. i. n. 2230.

.P /GER

61510/P

Q. D. B. V.

ΠΑΡΩΤΙΔΑΣ

Phyſiologicè & Pathologicè conſideratas

SUB PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI

DN. AUGUSTINI HEINRICI FASCHII,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ. Archiatri Ducalis Saxonici,

Patroni, Præceptoris ac Promotoris ſummâ obſervantiâ colendiſſimi,

In Auditorio Medico

horis antemeridianis

publicæ disquiſitioni exponet

CHRISTIANUS FRIDERICUS GERBERUS,

Zitta-Luſatus.

Ad diem 3. Febr. cIↄ Iↄc LXXXIII.

Jenæ, Literis Johannis Jacobi Bauhoferi.

7
16 VIII 448

B. C. D.

Caput I.

ſiſtens

Parotides phyſiologicè conſideratas.

I.

Glandulæ in corpore humano nomen ſortitæ ſunt vel ab officio, vel à formâ, vel à loco, ubi obſervantur. Παρώτιδες igitur dicuntur, quaſi παρὰ τὰ ὦτα, ipſo *Coo teſte, prædict. lib. 1. t. 153.* cùm poſt, vel juxta aures ſitæ ſint; in quâ derivatione & nos acquieſcimus.

II.

Παρώτις in genere dicta de ſtatu morboſo, ſignificat omnem abſceſſum & tumorem glandulas penes aures occupantem & infeſtantem, quam tamen *Galen. 3. de comp. med. loc. c. 3.* è genere inflammationum eſſe dicit, circa aures in glandulis prorumpentium. Contrariatur verò huic ſententiæ *Hippocrates*, dum Παρώτιδας tumores tantùm œdematoſos & ſcirrhoſos citra inflammationem, glandulas ſub auribus occupantes, nominat. Germanis dicuntur Geſchwulſt hinter denen Ohren/ Haupt- oder Ohren-Drüſen/ quia in infimâ capitis regione penes aures exiſtunt.

III.

Alii varias ipſis affingunt denominationes, dum quoque ἐπάρματα dicunt, quæ ſunt tumores ſ. abſceſſus ſecun-

dum aures exorti; an verò idem ſignificent, quod παρωτίδες, inter eruditos adhuc controvertitur. ἔπαρμα enim ſive ἔπαρσις in genere *tumorem*, *intumeſcentiam*, *extuberationem*, in quâcunque corporis parte obortam ſignificat. Et videmus Hippocratem ipſum, cui vocis hujus uſus aſſignatur, ita uſurpaſſe *lib. Coac. Prænot. t. 281. & 290.* de præcordiorum tumore; & *lib. 3. Epid. ægroto 13.* Item *Coac. prænot. t. 86. & 142.* de hypochondriorum ventrisque tumoribus. Quando autem videmus, ipſum loquentem de tumoribus faciei, addere περὶ τὸ πρόσωπον ἐπάρματα, *Coac. prænot. t. 183.* Et ſpecialiſſime huc facit, quòd nunquam, dum nominat tumores poſt aures, ἐπάρματα abſolutè ponat, ſed ſemper cum addito παρ' οὖς, *Coac. prænot. t. 626.* & *lib. 1. Epid. ſect. 1. ſtatu 1.* κατὰ τὰ ὦτα ponit. Ex quibus patet, voculam hanc generaliter acceptam huc non eſſe trahendam, ne cum aliis morbis confundatur, niſi addatur παρ' οὖς aut κατὰ τὰ ὦτα.

IV.

Deindè φῆρεα dicuntur, de quibus videre licet *Oecon. Hippocrat. Foëſ. p. 392.* Hos tumores, φῆρεα dictos, *Galenus* non dicit eſſe glandularum aurium, ſed nervorum tumores & tenſiones oblongiores, præſertim vero ὑπὸ τὰ ὦτα, *ſub auribus*, *Comm. 3. l. 6. Epid. ad t. 10.* Derivata eſt hæc vox à Satyris, quos Iones φῆρας vocabant, fingentes habere oblongas quasdam eminentias aut tubercula ſub auribus. *Alii* vero ἀπὸ τῶν Φηρῶν, quòd ἐν ταῖς Φηραῖς, civitate quâdam in Peloponneſo ſitâ, tumores hi frequentes viſantur. *Avicenna* harum glandularum poſt aurem apoſtemata nominat *fugillas*, *lib. 4. fen. 3. tract. 2. cap. 8.* quas eum tumorem, qui Græcis *parotis* dicitur, eſſe *Foreſtus* ſuſpicatur *lib. 3. obſ. Chirurg. 7. in ſchol.* Et hæc de ſtatu morboſô.

V.

Naturalem parotidum ſtatum quòd attinet, ſunt nonnulli, quibus dubitare placet; *An parotidum ſtatus naturalis detur?*

tur? Fateor hanc controverſiam in utramque partem varie deduci poſſe. Qui *negativam* tuentur, in patrocinium vocant Hippocratis verba, qui variis in locis, ubi de parotidibus agit, nunquam ſtatum naturalem, ſed ſemper p. n. intelligi vult. Apprime vero ipſis convenire videtur locus *Epid. 1. Sect. 7. ſtatu 3. p. m. 958.* ubi ait: οἷσι τὰ παρὰ τὰ ὦτα γενοίατο, *quibus tubercula ad aures enaſcebantur. Steno in Obſ. Anat. de Aurium glandulis* expreſse ſcribit: *Veteres dixiſſe parotides non ipſas glandulas, ſed ſub auribus vel poſt eas, obſervatos tumores. Celſus* & *Plinius* vocem Græcam Latinâ civitate donantes, Parotides dixerunt, quæ ſemper p. n. quid circa aures innuerunt.

VI.

Nobis magis arridet *affirmativa*, cùm tàm accuratiſſimi Anatomici, quàm *Wbartonus* & *Steno*, aſſidui corporum perſcrutatores, verbis & demonſtrationibus ſuis naturalem ſtatum patefaciant. Ipsâ ſanè αὐτοψία teſte in omnibus corporibus reperiuntur, nec ullus prodire poterit, qui has niſi naturam in ſuperfluis abundare autumet, negare valebit. Exiſtentia earum patet porrò ex vario uſu, cui inſerviunt, de quibus infrà; ut & ex vaſorum ſalivalium, quæ *Steno* deſcribit, ex parotidibus ortu & divaricatione. Hinc rigidiori calamo notandi ſunt, qui tàm neceſſaria naturæ adminicula aut prorſus negare, aut uſum horum egregium ex ignorantiâ ſupprimere audent.

VII.

Definimus autem *parotides* naturaliter conſideratas, *corpora ſpongioſa, poſt & ſub auribus ſita, tùm ſeri & ſanguinis depurationi, tùm inprimis partim vi ſtructuræ ſuæ; partim verò archeo ſ. innatâ qualitate ſalivalis tumoris productioni & elaborationi, ejusque in vaſa ſalivalia diſtributioni inſervientia.*

VIII.

Subſtantiam harum glandularum perpendentes, diximus

 eſſe

eſſe corpora ſpongioſa, ſive, ut *Whartono* placet, parenchymata ſpermatica ex innumeris ferè glandulis minoribus & vaſis capillaribus, ut & nervulis conglomerata. Longè vero aliâ ratione, quàm teſtium ſubſtantia dicitur conſtare, hîc intelligi velim. Concedo equidem aſſertionem, quæ videri poteſt in *Actis Anglic. p. 871.* glandulas ex vaſis variè eſſe contextas; an verò cum collatis teſtibus ritè explicari poſſit, eſt quod dubito; cùm non tantùm alia ſtructura adſit, ſed & longè aliud his inſit officium, archeusque diverſus. Hinc potius hi cum corporibus glandoſis, quàm ipſis glandulis conferendi. vid. *Laurent. Anat, lib. 7. de part. generat. dic. quæſt. 4.* Quanquàm tamen parotides noſtræ externâ facie inter ſe non differre putantur; accuratiori vero ſcalpelli anatomici examini ſubjectæ ad oculum patet, alios eſſe conglobatas, alias verò conglomeratas. Suſtinet utraque glandula ſuos ductus; nobilior verò eſt conglomerata, cùm plures & majores ſurculos alat; de quâ infrà. Vidimus enim ex quâcunque conglomeratæ parotidis glandula peculiarem ſurculum obortum, qui poſtmodum in unum coaleſcentes corpus, ductum ſalivalem conſtituunt. Conglobata autem collectioni magis, quàm diſtributioni videtur apta, juxta *Barthol. Anat. p. 7.*

IX.

Vaſa interſeruntur varia, è quibus glandulæ hæ liquorem ſibi proprium exſugunt; venæ adſunt à jugulari externâ. vid. *Anat. Barthol. p. 640.* Arterias habet à carotidibus externis, teſte *Stenone de glandulis oris, p. 11. §. 13.* nervos à quinti paris progreſſu oriundos dicit *Steno l. c.* quibus externè accedunt ramuli à primo, potiores tamen à ſecundo pare cervicali. Vaſis nominatis meritò tandem addimus lymphatica, quæ in ductum ſalivalem deſinunt, eumque conſtituunt.

X.

Situm his adjudicavimus poſt & penes aures

&

& ſub auribus; adducentes locô omnium verba *VVhartoni Adenograph. cap. 20. p. 113.* Sitæ ſunt parotides, *inquientis*, circa radicem auriculæ, ubi foveam quandam cavam ex proceſſus mammillaris, oſſis jugalis & poſterioris proceſſus maxillæ inferioris protuberantis factam occupant. *Bartholinus* vero iisdem locum aſſignat, non tantùm penè aures, ſed ad utrumque quoque latus & ſub aure, vid. *Anat. p.* 523. Cum quibus ratione ſitûs reliqui quoque conſentiunt Anatomici. Notari tamen debet circa ſitûs explicationem, conglobatam parotidem ſuperiorem eſſe conglomeratâ, illa enim immediatè ſub auriculâ versùs oſſis jugalis proceſſum obſervatur; hæc verò magis depreſſa vergit deorſum inter proceſſum maſtoideum verſus maxillam inferiorem; qualem ſitum oſtendit caput vitulinum.

XI.

Magnitudo variat pro ratione & ſtaturâ, conformationeque animalium. Sic in equo multò major, quàm in aliis animalibus hæc obſervatur glandula. Affirmat *VVhartonus l. c.* ſe exſecuiſſe parotidem pendentem ℥xj. addens: nec tamen fuiſſe p. n. aut ſolito tumidiorem. In homine vidit pendentem ℥ß. ʒß. In fœtu vaccino ultimo geſtationis menſe ʒij. *Steno* in bubulo ſecuit parotidem ℥iiiiß. pendentem l. c. p. 10. 11. *VVhart. Adenogr. p. 109.*

XII.

Figuram prælaudatus *Steno* planè irregularem pronunciat, & inferiorem ejus partem in longum extenuatam eſſe, mediâ craſſiore exiſtente, teſtatur. Certa autem figura aſſignatur tam conglobatæ, quàm conglomeratæ in *Tabula p. 41.* à *Stenone de glandulis oris* appoſita, quam vide; licet variet magnitudine.

XIII.

Paucis hîc quæritur: *quo glandulæ hæ gaudeant nutrimento?* Cùm ſatis diffuſa & difficillima ſit hujus determinatio, hæ-

reo

reo ferè, cui opinioni me applicem. Certò tamen certiùs conſtat, omnes corporis humani partes duobus nutriri humoribus, ſanguine nempè & ſero. Quid igitur vetat, idem alimentum ad glandularum nutritionem revocare? Nutriuntur continuò ſero non excrementitio, ſed alimentari; ſiquidem ab excrementis nulla nutribilis qualitas in corpore humano expectanda. Continuò itaque ſeri appulſu ſubſtantia glandularum ita conſervatur, ne vel exareſcat, vel quocunque modo pereat. *Vid. pluribus Autores.*

XIV.

Decantata etiam ſatis eſt ſucci nervorum nutritii doctrina, & à multis vix aliud alimentum, præter hunc liquorem, admittitur, ut partium alimento cum *Glyſſonio* & *Wbartono* inſervire credant, indeque è ſucci hujus reſtagnatione tumores & ſtrumas derivare non erubeſcant. Vid. *Majovv de Rachitide p. 43.* Dubia autem circa ejusmodi nutritionem varia occurrunt, nempe (1) an detur nervorum ſuccus nutritius; &, quæ ejus ſit materia? (2) an nutritioni inſervire poſſit? (3) quomodo partibus alendis applicetur? quæ tamen nunc relinquentes in aliud differimus magis opportunum tempus. *Nobis* hâc vice ſufficiat ſerum ſ. lympham pro vero glandularum ut omnium, ita & conſequenter parotidum, nutrimento agnoſcere, quod ab arteriis recipiunt glandulæ & per vaſa lymphatica à peripheriâ poſt ſufficientem pro nutrimento imbibitionem ad centrum dimittunt.

XV.

Oritur hîc denuò quæſtio; *An lympha in vaſis lymphaticis contenta pro excremento ſit habenda?* Plures affirmant, cùm ſeroſitates in ſanguine ſuperfluæ tranſudent, ſicque natura ſe liberet, hanc vero glandulæ adjacentes reſorbeant, & per ductus lymphaticos in ſanguinem reducant, juxta *Anat. Barth. p. 624.* & alios. *Nobis* autem videtur, plùs adeſſe in illis alimenti, quàm excrementi; ſiquidem ſingularem uſum

in

in partium nutritione habere, factoque experimento ad oculum patet, evaporatâ nempe lymphâ ſeroſiore in fundo gelatinam relinquere ſuaviſſimam, quæ verè alimentaris naturæ & dulcis ſaporis eſſe videtur, *Barbat. exercitat. de ſanguine & ſero, p. 10.* Aſſentitur nobis *Sylvius Diſp. Med. VIII. p. 38.* lympham pro utili humore habens. *Ait* enim, inutilis excrementitiaque ſi foret lympha, ⊡æ in renibus ſecretæ adinſtar, non admiſceretur ipſa ſanguini. Verùm, quemadmodum ⊡ ex renibus per ureteres in veſicam deducitur, ac per canales huic functioni peculiariter ordinatos aut immediatè, aut mediatè propelleretur extra corpus lympha.

XVI.

Concluditur itaque ex his præmiſſis, lympham aut eſſe excrementum, aut non. Si prius, ſequitur, quòd omnes ipſi adſcripti uſus fruſtrà & malè ab eâdem expectentur; nullum enim excrementum naturæ amicum & ad partium nutritionem aptum. Quicquid enim eſt utile & corpori proficuum, id non poteſt eſſe excrementum, quod à naturâ providâ matre jam tanquam inutile eſt ſeparatum, dum natura excrementa non recipit, niſi coacta. Quî enim fieri poteſt, ut ἄχρηστα quæ ſunt, pari paſſu cum εὐχρήστοις ambulent. *Vid. Schenk. Hiſtoria de ſero ſanguinis cap. 2. §. 34.* Datur ſanè excrementitium ſerum, quale eſt ⊡, mucus, ſordes oculorum & aurium &c. illud verò cum lymphâ nobis dictâ non eſt confundendum, ut ſuprà diximus. Quamdiu enim lympha in vaſis ſuis neque ſtagnat, neque iis obſtructis aliorſum tendit & à charactere peregrino eſt libera, excrementi nomen non meretur, ſed humor alimentaris meritò dicitur. Excidens verò è ſuis vaſis, vel ſuperabundans, corrupta, & corpus gravans, excrementum audit. Vid. *Schenck, lib. c. cap. 2. §. 38.*

XVII.

Sed ad parotidum *uſum* devolvimur, qui ab Anatomi-

cis deſcribitur talis, qualis communiter omnibus glandulis totius machinæ corporeæ habetur proprius & addictus, hincque parotides vaſa fulciunt, cerebri excrementa ſuſcipiunt & emungunt, tandemque partes circumjectas madore ſuo humectant. vid. *Diemerbr. lib.* 3. *cap.* 17. *Bartholinus* & *alii.* His verò ſe opponit *VVhartonus*, rejiciendo ex parte uſus à veteribus aſſignatos, dum novos quosdam ſtatuit, & ſucci nervoſi receptionem addit, *Adenograph. p.* 114. An verò glandulæ hæ lympham excrementitiam vehant, dictum eſt ſuperiùs. Hoc ſaltim addimus, quod *Sylvius* glandularum uſum recenſendo ſcribit: Non coacervandis excrementis inutilibus aut noxiis, ſed elaborandis humoribus corpori utilibus & neceſſariis inſervire glandulas omnes, *Diſp. V. p.* 23. §. 29. quorſum & ſpectant parotides. Relictis itaque uberrimis controverſiis de parotidum uſu, præcipuum hîc ſe exſerentem perquirere volupe eſt. Audiamus hinc *Stenonium*, qui verum parotidum conglomeratarum uſum eſſe dicit illum, quæ per ductum ſalivalem exteriorem in interiorem oris cavitatem excernitur, ſalivam præparare, *obſ. de glandulis oris p.* 17. Conglomeratæ enim glandulæ lympham non in venas refundunt, ſed in notabilem cavitatem exonerant, v. g. in os, fauces, &c. teſte *Excell. D. Bohn*, Profeſſore Lipſienſium celeberrimo, *diſput. Phyſiolog. II.* §. 15. Conglobatarum verò Patronus eſt *Sylvius*, qui in hoc contrariatur *Stenonio*, dum *Diſp. V. p.* 23. §. 23. ſcribit: docet Anatomia ductus, ipſaque vaſa lymphatica, ut & pancreaticum ſuccum ex conglobatis glandulis omnibus orta vel producta.

XVIII.

Ad penitiùs verò inſpiciendum uſum parotidum, quem ſtatuimus præparare *ſalivam*, diſquirimus ſtatim primo intuitu *de materiâ*, *ex quâ ſaliva* producatur? Hæc communi conſenſu dicitur *lympha*, quæ tùm alias in glandulas, tùm etiam ad parotides procumbit, (an potiùs ἔλξει vel ὤσει eveniat?

niat: in medio ſit poſitum) hincque in iisdem per διαχώρησιν ſ. *filtrationem* & cribrationem quaſi, coctionemque ſequeſtratur depuraturve, & per has vias rurſus ad centrum, quod à partium nutritione ſupereſt per conglobatas devolvitur; à conglomeratis verò, ut ſuprà diximus, in certas cavitates exoneratur. Refert B. *Schenck. in hiſtoriâ de ſero ſanguinis p. 56. §. 95. Seidelium in diſp. quâdam* ſtatuere, materiam ſalivæ eſſe pituitam naturalem, quæ ſecundâ coctione in jecinore & venis producitur, atque unà cum ſanguine per venas in totum corpus diſtribuitur. *Verùm* cum recentioribus rectiùs quærimus materiam ſalivæ in lymphâ generaliter ſic dictâ, quæ dum conglomeratas parotides copiâ gravat, ab iisdem in ductus ſalivales dimittitur, unde tunc ſalivæ nomen adipiſcitur.

XIX.

Elaborant itaque ex dictâ materia parotides ſalivalem humorem; quo verò inſtrumento, quaque vi, nondum ſatis certus ſum. Unaquæque officina, ut à Mechanicis ad corpus humanum deveniamus, quæ alicujus rei elaborationi eſt dicata, ſuis gaudet materiis, inſtrumentis & operariis, quod enim fit, fit mediante alio. Liceat hoc ad ſalivæ generationem applicare. Adeſt ex ſuprà dictis materia, nempe lymphæ à ſanguine arterioſo ſeparatæ ſufficiens quantitas, officina aſſignatur parotidum ſubſtantia & glandulæ conglomeratæ, quis verò actuet & quibus inſtrumentis? hîc hæret animus. *Grembs Arbor. integr. & ruinoſ. hominis. p. 76.* de glandulis agens ſcribit: Glandulis fermenta inſunt peculiaria. Patet itaq; aliquid ſubeſſe, quod vel fermentum, vel qualitatem innatam, vel archeum, vel ſpiritum inſitum, vel naturam, vel alio nomine dicere liberum eſt, modò ingenitam quandam potentiam naturalem intelligas. Singulare ut fermentum reſidet in corde, ſingulare & ab alio planè diverſum in ventriculo, aliud in renibus, & ut *Helm. Tr. ſextuplex digeſtio alimenti hu-*

mani, p.m. 199. §. 2. memorat, reperiri totidem adæquatè fermenta, quot in nobis ſunt digeſtiones. Recipit ergò parotidum archeus lympham ſibi oblatam & varia elaboratione & actuatione characterem ſuum imprimit, ſicque ſalivam producit & in vaſa propellit, undè poſteà lympha & ſaliva, quæ tamen priùs ejusdem erant naturæ, ab invicem differre incipiunt.

XX.

Salivæ ductibus ſalivalibus affluentis materia ab Autoribus variè deſcribitur, & an ſit aquoſa, an ſalſa, an acida, quod confirmat *Svvalve de Acido & alcali p. 181.* an fermento ventriculi æmula? variè controvertitur. Longiùs ſanè foret hâc de re omnium afferre ſententias & easdem invicem conciliare, cui operi nec pagina, nec tempus ſufficerent. Paucis ſimus contenti, & ex iisdem informationem apprehendamus. *Excell. D. VVedelius*, Præceptor meus ætatem venerandus in *Phyſiologiâ ſuâ p. 173.* de ſalivæ natura agens, aſſerit, ſalivam ▽ſam quidem, albicantem & ſpumoſam eſſe; viſcedinem tamen ſeu γλισχρόν τι conjunctam habere. *Diemerbr. Anat. p. 740.* hanc ſalivæ conceſſam ſpumoſitatem in dubium vocans, ait, hanc non ex ſe habere, ſed ſi adſit, conquirere à motu aëris & linguæ. *Excell. D. D. Amman. in Parœneſ. ad diſc. p. 70.* ſalivam refert ad humores lymphaticos. *Excell. D. Bohn in Diſput. 11. §. 18*, ſalivam ex variorum ſuccorum combinatione emergere vult, quem vide l. c. *Sylvius Diſp. Med. V. §. 36. p. 34.* cùm ſaliva omnibus humoribus ſe commiſcere patiatur, eam ambit ſententiam, ineſſe nempe multùm aquæ, parùm ſpiritus volatilis ac minimùm ſalis lixivioſi, cum olei ſpiritûsque acidi tantillo mixti temperatique. *Nos*, cœteris opinionibus ſalvis, ſtatuimus ſalivam eſſe naturæ quidem ▽ſæ, ⊖bus tamen fœtam & ad fermenti ventriculi naturam proximè accedentem.

XXI.

Saliva & ſputum quidem differunt ratione conſiſtentiæ, quæ craſſior ac viſcidior in ſputo, quod juxta *Excell. D. VVedelii Phyſiolog. p. 173.* ſaliva coagulata dici poteſt; undè verò hæc ſalivæ coagulatio & viſciditas oriatur? controvertitur. *Nobis* ſufficiat noſſe, tùm ab aëre in cavitatem oris admiſſo, tùm ab agitatione linguæ nimiâ ſpumoſum magis fieri & craſſius. Quod facilè eorum exemplo illuſtrari poteſt, qui longos ſermones faciunt, his ſputum redditur craſſius. Dum enim continuò aërem, qui partim exſiccare, partim humores variè diſponere & immutare poteſt, pro ſufficienti pulmonum diſtenſione attrahunt, non aliter fieri poteſt, quàm ut particulæ ſalivæ -^-oſæ volatiles diſſipentur & abſumantur; imò dùm ſolito celerius lingua movetur, calor quoque tàm oris, quàm adjacentium partium augetur, unde exarent fauces & lingua, ſitis urget, & ſputum tanquàm ad humectandum aut alios uſus præſtandos iners rejicitur. Neque adeò ab hâc ſententiâ recedit B. *Mæb. Inſt. p. 284.* dum opinatur, ſputum fieri craſſius, ſi in ore diutiùs detineatur, ejusque partes tenuiores à calore abſumantur.

XXII.

Quod verò nonnullis placeat peculiarem aliquem *colorem, odorem & ſaporem* ſputo aſſignare, probabile naturaliter minus videtur. Sputum enim in ſe & per ſe ſpectatum nullius coloris, odoris & ſaporis determinati eſt particeps. Si verò obſervatur colore, vel odore, vel ſapore quodam inquinatum, certè concludendum id præternaturalem oſtendere ſtatum, & communicari à ſubjecto, quod eſt vel ſcorbuticum, vel lue ♀reâ laborans; vel contractum eſſe hoc vitium à laxitate & putrilagine gingivarum & carie dentium; vel à pulmonibus affectis & exulceratis; vel ventriculo malè habente, vel ab aliis humoribus admixtis. His viſis ſpu-

tum in p. n. ſtatu conſtitutum conſiderare fas eſt, ut benè B. *Mœbius l. c.* monet; quorſum etiam ſpectant ſputum cœruleis particulis mixtum, cujus mentionem facit *Helmont. tr. aſthma & tuſſis t. 26. p. m. 346.* & alia ab aliis notata.

XXIII.

Excernitur ſaliva naturaliter conſiderata partim ab archeo ſ. facultate expultrice irritante, partim à glandularum turgentium concuſſione & compreſſione, partim titillatione vel à causâ externâ vel internâ proveniente. Hinc ſubita illa ſalivæ in os profuſio (Germ. wenn das Maul voll Waſſer laufft) fit ab affluxu ſpirituum animalium majori, nervos adimplente & his adjacentes glandulas cum ductibus ſalivalibus irritante, non aliter ac rubor in pudore & ad cogitata ♀rea virgæ erectio fit. Videmus etiam eſurientibus poſt conſpectum cibum talem ſalivationem accidere. Communicatur enim per aërem, qui vector miaſmatum eſt. Odor à cibo proficiſcens, ad πρῶτον αἰσθητήριον per organa delatus, ſpiritus quaſi excitat & in motum ciet, ut nervos irrigent; quo facto, archeus glandularum ſalivalium irritatur & ad excretionem ſpumaſcentis in glandulis ſalivæ ſtimulatur. Quod verò *ſaliva* quoque *viſis* quibusdam rebus *ſordidis* vel ferre non conſuetis colligatur, hicque ſpiritus, quos modò aſſeruimus, recurrere & quaſi expaveſcere videantur, hanc ſalivæ excretionem prodire à nauſea pronunciamus, pari ratione ac vomiturientes vel medicamentum purgans aſſumentes, ſalivæ collectionem in oris hiatum experiuntur, quæ collectio à triſti ſenſatione ac ventriculi vellicatione oboritur. Nauſea verò & appetentis ſalivæ collectio longè differre videntur; hæc enim fit cum deſiderio, illa cum moleſtiâ.

XXIV.

Tandem ut explicationi doctrinæ de ſalivâ coronidem imponamus, ad uſum ejusdem convertimur; quem varium

com-

comperimus, hicq; de eodem pauca ſubnectere lubet. Quod utilitate non carentem ſalivam tueamur, ex ſuperioribus patet; ſufficiat autem ſequentibus noſtram ſtabilire ſententiam. Saliva quamprimùm vaſorum extremitates relinquit, ori & faucibus gratam promittit humiditatem, hinc promovet loquelam, arcet ariditatem linguæ, & deglutitionem promovet. Patet ergò eos, qui defectu ſeri & conſequenter ſalivæ laborant, ut ſunt febribus vexati, nec appetere, nec facilè deglutire, nec cibos guſtu diſcernere poſſe; imò, licet optimi & ſapidi offerantur ipſis cibi, lignum tamen ſapere inſipidum dicunt, quod nullâ ex aliâ fit ratione, quàm deficiente ſaliva. Particulæ enim ⊖næ à ſeroſitatibus ſalivæ non ſolvuntur, nec 🜍reæ ♒oſis & oleaginoſis extrahuntur, prout decet, hinc nec appetitus adeſt, nec maſticatio inſtitui, nec ſapor ullus obſervari poteſt. Summa proindè ſalivæ patet neceſſitas. Et univerſale menſtruum dici ſaliva meretur, dum non ſolùm ad impaſtandos cibos ori ingeſtos facta videtur, ſed inchoat quoque ſimul ventriculi digeſtionem, & dum cibis admiſcetur, prima alterationis rudimenta eisdem imprimit, quod ad oculum patet, ſi cibi maſticati expuantur, facilè coloris ſentiatur immutatio. Vis autem penetrativa & fermentativa ſtatim ſe manifeſtat, quæ demonſtrari poteſt, ſi maſticetur panis inpr. albus, multaque imbuatur ſalivâ, & maſſæ ex farinâ & ▽ tepidâ factæ injiciatur, quam accedente calore externo proportionato inſtar fermenti communis fermentat. Hoc præſuppoſito, deglutitam ſalivam in ventriculo non modò concoctionem promovere volo, ſed & fermentum ejusdem reſtaurare credo, adductus verbis *Bern. Swalve Querel. ventricul. p. 35.* qui ait: ſalivam incrementum quoque geniali, (verba ſunt ipſius) ſpiritui ventriculi præbere. Quod confirmat *D. Bohn, Diſp. Phyſiolog. 11. §. 14.* ubi ſalivam cum reliquiis alimentorum fermenti ſtomachalis pabulum dici affirmat,

XXV.

XXV.

Concludimus itaque, ſalivam in ſe conſideratam non eſſe excrementum merè inutile, ſed ad nutritionem & bonam corporis conſtitutionem apprimè facere. Neglecta enim maſticatione & ſufficienti ſalivæ irrigatione non tantùm ventriculus gravabitur, ſed & ſenſim ſenſimque loco ſperatæ nutritionis & augmentationis cacochymia, quæ portam ad variam morborum ſegetem aperit, enaſcitur. Nam juxta notiſſimum Medicorum dicterium, vitium in primâ concoctione commiſſum, neque in ſecundâ, multò minus tertiâ corrigitur; undè varia tunc corpori naſcuntur incommoda.

Caput II.

continens

Parotides pathologicè conſideratas.

I.

Phyſiologicè conſideratas parotides excipit nunc earundem pathologia. Patiuntur hæ more aliarum glandularum non rarò intemperiem, ſœpiùs tumorem, qui morbum magnitudinis auctæ conſtituit; hic ſi materiæ affluxus major & quantitas non ſolùm, ſed & qualitas enormiter peccat, inflammationem experitur, quæ tandem in abſceſſum degenerat, qualia exempla plùs vice ſimplici tùm ab Autoribus fide digniſſimis habemus, tùm per experientiam ſæpè obſervare licuit.

II.

Cauſam hujus tumoris immediatam pronunciamus tùm ſeri & ſanguinis, tùm aliorum humorum colluviem ſtagnationemq; in glandulis aurium. Sanguis & ſerum quamdiu

diu naturali ſuo gaudent circulo & ſymmetria particularum corpus nutriunt, & tantum abeſt, ut ullas in partibus & corporibus creent moleſtias; quamprimùm verò abundant vel particulæ ſeroſæ, vel bilioſæ ſive ♀reæ, aut aliæ heterogeneæ, conſiſtentiam juſtam ſanguinis vitiantes, vario modo peccatur. Hinc ad partes delati humores eisdem intemperiem & intumeſcentiam inducunt, ut fit h. l. in parotidibus, ubi, cùm plùs humorum, quam conſuetum eſt, allabitur, archeus hiſce irritatus & confuſus affluentem laticem ulteriùs dispenſare inſufficiens eſt, undè in glandulis ſubſiſtentes & quaſi captivati & incarcerati humores parotides adimplendo turgeſcentes reddunt, cutem ſimul attollunt: & ſic tumoris hujus cauſa immediata eſt, ut diximus, humorum ϛάσις.

III.

Cauſas *mediatas* perluſtraturi proximiores, præſuppo-nimus tria: (1) partis *mandantis* irritationem; (2) *materiæ* illabentis quantitatem, qualitatem & motum; (3) *recipientis* debilitatem & laxitatem. Hæc in omni tumore attendenda veniunt. Partis ſiquidem mandantis irritatio à variis deduci poteſt cauſis, in noſtro, quem præ manibus habemus, tumore. Patet enim toto die, hanc fieri aliquando à naturâ ipsâ, dum viribus adhuc pollens, materiam morbificam in corpore peccantem ad certum determinatumque locum ejicit, & ſe ab hoſpite ingrato liberare ſtudet, hincque tumorem excitat criticum & ſæpè ſalutarem, aliqn. enim à cerebro, quod vult *Paræus Anat. lib. V. c. 10.* & partibus adjacentibus, quæ ſibi moleſtam materiam illuc deponere ſatagunt; aliquando quoque ab humoribus ipſis ſtimulantibus, qui pro ratione quantitatis, qualitatis & motûs variare ſolent. Obſervamus quantitatem aliam majorem, aliam minorem. Qualitatem verò humorum aliam eſſe ſanguineam, aliam ſeroſam, aliam bilioſam, aliam pituitoſam, aliam

melancholicam, aliam acidam, hincque pro cujuscunque qualitate humoris tumor, ut & ſuperveniens inflammatio variare ſolet. *vid. Foreſt. obſ. Med. lib. 12. obſ. 16. 17. 18.* Referendæ hûc quoque aliæ intumeſcentium parotidum *differentiæ*, & ſunt vel *ſymptomaticæ*, ut refert *Jonſton. Ideâ Med. Pract. p. 514.* vel *malignæ*; qualem tamen benè curatam unam obſervavit *Timæus à* Güldenklee *lib. 6. Caſ. 6. p. 265.* & aliam infelici cum ſucceſſu, *Reſponſ. p. 1076.* vel *peſtilentes*, quas Delphis obſervatas ſcribit *Foreſt. l. c.* Affirmat *Platerus obſ. l. 3. p. 63.* ſe obſervaſſe tumorem juxta aures, è quo calculi exempti fuerint. Supereſt recipientis debilitas & laxitas, quæ à poſteriori, hoc loco facillimè demonſtrari poteſt. Certum enim eſt, nullam partem, quamdiu tono & conſtitutione, quam per naturam adepta eſt, inculpatè gaudet, heterogeneum quid, ſibique inſuetum recipere, labefactatam verò quodcunque illabitur, admittere. Placet parotidibus accommodare locum, quem in ſpecie de axillis, inguinibus, & ibidem contentis glandulis quæ per propriam naturam imbecilles aliàs ſunt, *Galenus lib. 13. meth. med. cap. 5.* dictitat, τὰ ἐκ τῶν ἰσχυροτέρων μορίων, *inquientis*, ὠθούμενα τὰ περιττὰ κατὰ τὸ πλῆθος, ἢ ποιότητα, τοῖς ἀσθενεστέροις ἐγκατασκήπτει. καὶ διὰ τοῦτό γε καὶ οἱ ἀδένες, ἑτοίμως δέχονται τὸ ῥεῦμα, καὶ μάλισθ᾽ ὅσοι μανότεροι φύσει. *quæ ex valentioribus extruduntur ad imbecilliora decumbunt, ſed ferè ad glandulas, quæ ſunt rariores.*

IV.

Inter cauſas *mediatas remotiores* numeramus (1) *naturales*. Ratione temperamenti & ætatis *Valeſc. de Taranta* adoleſcentibus, quia his temperamentum calidius eſt, periculoſiores, quàm ſenibus eſſe aſſerit. Huc quoque pertinet locus ſeu *regio* cùm iis in locis & regionibus, quæ calidiores ſunt, frequentiùs accidere poſſint, quàm in frigidioribus; item *tempus anni* ſuum addit ἐπιβάλλον μέρος. (2) *Non naturales*, ut *Aër*, qui cum variè humores diſponere valeat, hîc quoque peccare

poteſt,

poteſt,imprimis ſi parotides oriantur malignæ & peſtilentes, quas recenſet *Foreſtus l. c.* ut hinc miaſmata per eundem communicentur. Imò certum eſt,calidiorem aërem corpus noſtrum non tantùm calefacere,ſed & humores fundere & ad tales invaſiones diſponere poſſe. Aër *frigidus* quoque accuſatur ab *Amato Cent. 1. Curat. 88.* qui in uxore Proxenetæ ex vento frigido obſervavit parotidem. Ex pluvioſi aëris impetu ſub principium veris,ubi tonitru primâ vice pluviam demiſit,quam ſpe capillos meliores adipiſcendi capite intectô excipere temerariè ſolet delicatior ſexus ſub diô; at,vanâ prorſus; ſiquidem pro comarum elegantiâ ſibi eundem contraxiſſe aliquot vicibus parotidum tumores ut duriſſimos, ita contumaciſſimos, *analecta Magnif. D. D. Præſidis*, Præceptoris mei æviternum colendi confirmant. *Cibus & potus* peccat ingerendo,*tùm* nimis acria, volatilia, *vinum* fortius, Hiſpanicum, 🜄 & muſtum ; his etenim maſſa ſanguinea & ſpiritus excandeſcunt & in motum p. n. cientur, ſerum abſumitur & partes 🜍eæ plùs ſolitô agitantur,& hinc facilè febres ardentes,malignæ, poſt ſe parotides trahentes enaſci,imò hæ per eſſentiam fieri queunt ; *Tùm nimis viſcida* & concoctione non ſubjugibilia,flatulenta & chylum viſcidum,frigidum reddentia,quo poſtmodum ſanguis per ſe laudabilis inquinatur, gravatur,viſcidus & pituitoſus evadit,anſamque variis obſtructionibus & morbis præbet. *Motus* ſi excedat,vel deficiat pari peccat ratione ; hoc enim ſpiritus redduntur torpidi & ſanguis frigidior; illo verò magis calefiunt. *Vigiliæ* nimiæ corpus exſiccant & ſerum abſumunt, ut hinc deliria & phrenitides poſt ſe parotides relinquentes excludant. *Bened. Faventin.* cauſas prægreſſas *p. n.* deſcribit,quod nempe ſint ex externis alterantibus, capitis dolores , contuſiones , conquaſſationes, verberationes,ut & dolores,labores & oculorum imbecillitates. Quibus addere poſſumus,febres ardentes,malignas,peſtem ipſam,luem ♀ream. &c.

V.

Signa *diagnoſtica* duplicia ſunt, tùm *imminentium* parotidum, tùm actu exiſtentium. ὁ μακαρίτης *Rolfinc. O. & M. Med.Spec. comment. p.* 254. imminentem parotidum tumorem dum indigitat, ait: In continuis ardentibus & malignis rubor ſi adſit faciei, capitis gravitas, ſurditas cum ſtupore, (capitis dolor, gravedo, rubor circa aures) ☐ ſemicocta, locus criſeos per abſceſſum erit poſt aures, & prædici poſſunt parotides: vid. *Foreſt. l. c. & Hipp. Prænot. Coac. p.* 147. 150. *Præſentis* parotidum tumoris adducere ſigna non neceſſe putamus; ſiquidem omnis tumor per ſe manifeſtus & oculos noſtros incurrit. Dicit verò *Jonſt. Id. Med. Pract. lib. 6. artic. 5.* hæc eſſe tumorem, dolorem, ruborem; quæ penitius examinabimus. Tumor autem fit ab appulſu humorum illabentium, ſtagnantium & glandulas diſtendentium. Dolor à tenſione membranarum & vaſorum compreſſione, qui tamen ut & rubor non ſemper, ut in parotide indolente, animadvertitur. vid. *Plater. Prax. Tr. 3. de Vitiis, cap. 3. de extuberantiâ.* Ut enim humores contenti & parotides tumentes variant, ita variant etiam ſigna, quæ ritè conſideranda. Conſulatur hîc *Foreſtus l. 12. obſ. 17. Alex. Trallianus lib. 3. cap. 7. Jonſton. l. c. Valeſc. de Tarant. in Philon. Pharm. & Chirurg.* qui omnes conveniunt, quod ſi parotides p. n. dictæ, fiant à ſanguine, adſit plenitudo loci, rubor & gravitas, pulſatio, febris, ſique digito comprimantur, ſtatim inflationem redire, dolorem inſigniter urgere, ruboremque non levem. Cùm verò oritur à ſanguine bilioſo, ſ. bile, inflammatio non tantùm erit major, ſed & dolor mordicativus abſque gravitate tamen, & tumor eryſipelati perſimilis. Materiam porrò pituitoſam pauca caliditas & remiſſus dolor manifeſtabunt. Humorem tandem melancholicum durities & paucus dolor, rubeo cum colore demonſtrabit. Pluribus vid. citati Autores. Quæ autem *criticæ* ſunt, concoctione jam apparente cum levamine fiunt, juxta *Alex. Trallianum*, & bonum dant ſignum.

Sym-

Symptomaticæ hæ quoque dici poſſunt,cùm non tantùm poſt febres,ſed & in peſte,lue ♀rea, imò in lethargo & aliis capitis affectibus teſte *Galeno de Criſibus*, conſpiciantur, & morbum jam ad ſtatum deductum pronuncient.

VI.

Quod *prognoſin* concernit, ſingulæ ſuum nanciſcuntur prognoſticon. Si enim cum ſignis coctionis,die critico & à naturâ hûc depellantur, benè ſperandum,effato *Jonſton. l. c.* Si verò die non critico veniant absque concoctionis ſignis,vel planè intrò redeant, malæ reputandæ; quale exemplum infelicis abſceſsûs adducit *Borellius Cent. IV. obſ. 85.* *Cous prænot.Coac.* ſcribit: τὰ δὲ ὀδυνηρῶς παρ' ὖς ἀνιςάμενα, ὀλέθρια. *Quæ dolentes ad aures exſurgunt, perniciem minantur.* Vid. *Riverius p. 105.* Veriſſimum eſt parotides periculoſas eſſe, ob cerebri, quod viſcus eſt nobiliſſimum, vicinitatem,facilè enim exhalationes à tumore hoc, utplurimùm maligno, inducere valent delirium & phrenitidem. Hinc omnes ferè parotides ſuſpectas vult haberi *Riverius & Petr. Foreſt. lib. XII. obſ.16. ſchol. Rhodius cent.1.l.obſ.85.* binas parotides ſalutari cum eventu memorat. De parotide infantuli in magnū abſceſſum verſa,& benè curatâ, vid. *Smetius miſc. p.223. Ballon. Epid. p.21.* parotides febre non remittente pernicioſas pronunciat. Varia parotidum in aliis morbis prognoſin concernentia, vid. *in Prænot. Coac. p.150. 151.* Ordinariè parotidibus accedit inflammatio,quæ fit à ſanguine extra vaſa p. n. affluente, cum calore, dolore, rubore, tenſione,renitentiâ,pulſatione conjuncta. *Sylvius Prax. Med. l. 1. cap. 49. §. 36.* ſcribit,oriri inflammationem, ſi ſanguis in vaſis & ductibus ſubſiſtens,aut ex iisdem in glandularum ſubſtantiam effuſus incendatur. Habitâ curâ, ut decet, ſequitur abſceſſus ſ. ſuppuratio,quæ eſt ſanguinis poſt inflammationem in pus converſio, quæ optimè promovenda, ut ritè eveniat, aliàs ſiniſter ſequitur exitus; parotidis enim inflammatio ſuppurationis expers,recidivæ metum affert, & aliquando licet

coctio appareat, niſi □ convenienter ducantur, pro lethali habetur. Huc trahendum eſt prognoſticon *River. Inſt. Med. lib.3. ſect.3. p.106.* parotidibus *inquiens*, ſi nulla ſubſequatur ſuppuratio, malum eſt ſignum, niſi larga hæmorrhagia, aut copioſus alvi fluxus, (quod & vult *Ballonius*) nempe criticus & ſignis coctionis apparentibus ſuccedat. Non verò de omni alvi fluxu intelligendum, quòd parotides diſſipet, ſæpè enim in febb. peſtilentibus ægros cum parotidibus apparentibus, ſurripit. Imò etiam ſuppuratis licet prædictis tumoribus ſequi mortem annotat *B. Rolf. O. & M. Med. ſpec. comment. p.* 161. Deficiente enim robore naturæ & morbo recidivante vires ut ſuccumbant, neceſſe eſt. *Riverius* jubet obſervare, tumorem creſcentem ante maturationis tempus aperiendum, ne periculum ſuffocationis immineat. Locum enim non eſſe adeò capacem, ut omnem materiam ſimul coquere poſſit.

VII.

Curationem aggreſſuri monemus, ne externa ſolùm, ſed & interna aſſiduè commendentur. Parotidum curatio juxta Galenum & alios longè aliter inſtituenda eſt, quàm aliarum inflammationum, imò planè contraria, cum hic non diſſipandum, ſed potiùs attrahendum ſit. Ex *Chirurgicis* præſidiis in tumore à ſanguine orto & corpore plethorico locum ſibi poſcit *V. S.* & inprimis in brachio, ſiquidem hâc ſanguis fervens ordini ſuo reſtituitur, refrigeratur & inflammatio tollitur. *Cucurbitulas* (fortè non ſcarificatas) varii commendant *Practici*, ut & *Galenus de Comp. Med. ſec. loca lib.* 3. qui easdem laudat, ut infeſtans humor ad cutem trahatur, præſertim ſi affectio in capite hæreat. *Veſicatoria Riverius Prax. lib. XVII. c.1. p.547. ſuadet*, poſteriori cervicis parti admovenda, ut, quia pars non eſt capax materiam morbificam ſufficienter recipere, portio illius derivetur.

VIII.

Pharmaceuticis ita curatio inſtituatur, ut externè applicentur *attrahentia*, quæ calore ſuo laxent poros, humoresque advocent & evocent, v. g. *emplaſtrum magneticum Salæ, oxycroceum, Diachylon, de cantharidibus, caricæ cum butyro frixæ, gumm. ammoniac. balſ. ♀ris, ferment. cum cantharidibus & alia. Mynſichtus* in parotidibus pituitoſis laudat *emplaſtrum diaphoreticum*, quod tamen indiſcriminatim apponere non ſuaderem. Emplaſtrum ad parotides deſcribit *Excell. D. D. Wedel. de compoſ. med. extemp. p. 195.* Et *Petr. Joh. Faber lib. 3 univ. ſapient. de morbis capitis, p. 245. Cataplaſmata & emplaſtra* varia adnotavit *Grembs Arbor. integr. & ruinoſa hominis p. 195.* Egregiam quoque operam locabunt empl. de meliloto c. gummi ammoniacô in acetô ſolutô anatica proportione, malaxatum cum °° nicotian. irino, ſcorpion. & adplicatum; cui pro rei neceſſitate empl. magneticum adjungi poterit. Suppuratione jam factâ ulcus mundificare præcipit *Riverius digeſtivo communi* ex *terebinthinâ, vitellis ovorum & °° roſaceo.*

IX.

Internè verò *expellentia*, habito tamen reſpectu ad morbum, in quo contingunt. Omnem ferè paginam abſolvunt *alexipharmaca* ac *diaphoretica*, quæ adhibita naturæ ad eas partes materiam morbificam expellentis motum adjuvant. Inter hæc apprimè *B. Michaelis* laudat *ſpecificum ſuum cephalic.* in omni parotide cum vel ſine malignitate mirè proficuum. Nec ultimæ notæ ſunt ♁ *diaph. ceruſſ.* ʒii, *bez. min.* ⊖ *vol. C. C. viperarum, eboris, C. C. phil.* ☉ *diaphoret. mag. è ſpinis viperarum*, ♁ *nat. Hung.* & ʒij, *liquor C. C. ſuccinat.* ℞ *bez. vol. & acid. Mich. Rolf. Wed. Ludov.* ♎ ⊕ *cephal. M. S. flor.* ♀*ris.* & alia quæ omnia ex autoribus hùc transſcribere ſupervacaneum foret.

X.

Purgantia h. l. primariò non conveniunt, rapiuntur enim humores, qui jam ad certum terminare incipiunt locum rurſus in

in maſſam ſanguineam,hinc majorês excitantur turbæ& motus humorum fortior evadit. Curatô verò abſceſſu & febri deſinente,ſine noxâ purgans aliquod remedium propinari poteſt,ut ſuperflui,ſi qui reſtant in corpore,humores,à quibus recidiva metuenda,educantur,ſive fiat per ἐπίκρασιν,ſive per fortiorem purgationem. Et officium facient *rhabarb. ſenna, gialap.* cum *cryſt.* ♀*ri* vel ♀ ⊖*-to* mixta, *reſ. ſcammon. gialap. extract. agar. panchymag. Croll. extr. cathol. Andern. Elix. purg. Deçoct. lenit.* & *laxat.* & plura alia.

XI.

Si materia in vaſis hærere animadvertatur,*diuretica* quoque nonnihil boni præſtabunt. Danda hunc in finem abſtergentia,ut *emulſ. è ſem.* 4 *frig. maj. c.* ▽ *gramin. cich. alkek. petroſelini, fragor. ceraſ. nigr. galeg. ſcorzoner. betonic.* &c. item *panac. Holſt.* ⦶ ỏ*iat.* ⊖ *abſinth. cichor. ſp.* ⦶. ⊖. ⊖*-li,miſt. ſimpl.* clyſſi minerales variorum Autorum,vel ſoli,vel cum tincturis viol. & roſar. permiſti.

XII.

Præſtat,ut etiam adhibitis præſidiis Pharmaceuticis & Chirurgicis denique addamus *triplicem* diætam. *Vitalis* ſibi vendicat aërem temperatum,ne accedente ex improvisò frigore humores ad ſuppurationem tendentes terreantur & eorum concoctio impediatur. *Animalis* diæta poſcit quietem,motu ſepoſito , ne ſpiritus turbati humoresque moti ulteriùs moveantur & confundantur, àque molimine ſuo natura trahatur.Tranquillum maneat corpus, ne natura in expellendo occupata viribus deſtituatur. *Naturalis* licet,ut in omnibus febribus & morbis tùm malignis, tùm plurimis, vacillet, & nullum cibi adſit deſiderium, attamen ſi fortè cibi appetantur, non concedendi difficiles concoctu, ſed juſcula, ova ſorbilia, carnes vitulinæ, & quæ facilem laudabilemque chylum porrigunt. Omnia tamen reſpectu habito ad regionem, conſuetudinem, ætatem & circumſtantias ipſius morbi. Circumſpectè etiam agendum, ut alvus teneatur aperta, ne cumulatis ſcybalis,eisque induratis graviora ſuperveniant ſymptomata.

SIT GLORIA DEO TRIUNI.